



1694.

1. Barkhus, Godefridus : De magistro navis.
2. Bahr, Johannes, Fu. med. pro conc. Marius l. s. d.
(ad peregrin. disputatoriam Christian. Gollstedt
Finger instat).
3. Curio, Christianus : De interesse republicae esse
excursiones maritimas in terram alienam tempore
belli institutas.
4. Hering, Joh. Jacob : De introitu d.
5. Hethnerus, Fredericus Theophrastus : De monachis Aegypt-
iacis et simul de egregia Lipsiens. in bibliotheca
Instructissima Augustini Senatus.
6. Meister, Johannes Gollub : De exequiis principum.
7. Mencknius, Dr. Bernhard : De Augustorum Augustarumque
consecratione ex nummis.
8. Mencknius, Ludovicus : De salario tutoris et cura
fructu. 2 Suppl. 1694. 1738.

1694.

9. Mendelivius, Ludovicus : De tormentis factorum damnatis
ad mortem iuranti denegator et moribus plerisque inserta

10. Rechenberg, L. Adamus : De regimento S. R. imperii

11. Rechenberg, L. Adamus : De ius regnandi gratia
violandum?

12. Schamberg, Joh. Christianus : De paralyti scorbutica

13^{a. b.} Titius, Gottlieb Gerhard : De fictione Remanensium
naturae et inconcinnitate. 2 Sept. 1694: 1727

EXTRACTUM REGALE,

REGISTRO
NAVIS,

Consensu inclytæ Facult. Juridicæ
LIPSÏENSIS,


REV. MODERANTE

DR. GOTTFREDI BARTHII,
PR. UEL. DOCT. & PRACT.

in Præsentia

SEBASTIANI ERDMANNS,

Librarius



169

9. M

10 1/2

11.

12.

13 1/2

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



1694, 2 ~~113~~ 1257

FACULTATIS MEDICÆ
IN
ACADEMIA LIPSIENSI

p. t.

Pro-Cancellarius,

D. JOHANNES ~~Bohn~~ Bohn/

Therap. Prof. Publ.

L. S. D.

*De evidente Fortunae vi in morbis Chirurgicæ
operem postulantibus*

H. D. Gilius



10

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

D. VAL. ALBERTI.





In morborum medela, quam *Hippocrates* 6. *epid.* 5. eorum *Medicatricem* ait, & *Artem*, quam hos *tolere* horumque *impetus* *retundere* *de arte* t. 4. *asserit*, *Fortunæ* *concursu* *haud* *omnimode* *destitui* *idem* *Cous* l. a. t. 5. *annuit*. *Quod*

quidem *eius* *assertum* *vix* *adeo* *vanum* *pronuncio*, *non* *quod* *indeclinabile* *fatum* *seu* *cœcam* *quandam* *Fortunam* *Medicinæ* *præmonstratricem* *ac* *directricem* *velim*, *adeoque* *Medicos* *quosdam* *præ* *aliis* *per* *illam* *Affectibus* *præternaturalibus* *curandis* *aptiores* *existere* *mihî* *persuadeam*: *Sed* *quod* *phœnomena* *etiam* *planè* *fortuita* *seu* *casualia* *aliquando* *vel* *artem* *juvare*, *vel* *ipsi* *succenturiari*, *in* *affectibus* *etiam* *satis* *deploratis*, *obseruem*, *observent* *etiam* *sine* *dubio* *alii*, *negotiis* *præcticis* *attentiores*, *testenturque* *hinc* *inde* *Scriptores* *ejusmodi* *casus*, *ubi* *causæ* *evidentes*, *contingentes* & *sine* *consilii* *directorio* *agentes*, *modo*, *juxta* *Kyperum*, *sine* *necessaria* *sui* *cum* *effectu* *cohærentia*, *modò* *cum* *eadem*, *sub* *nomine* *εὐτυχίας* *sanitatem* *attulerunt*, *perinde* *ac* *ἀτυχίας* *morbos* *varios* *inducere*, *palam* *est*. *Ita* *for-*

A

tuitam

tuitam abdominis perforationem Asciticos ab inundatione aquarum liberasse, perhibent *M. Donatus obs. mirab. 4. c. 21. Roussetus de partu caesar. p. 44. & Rhodius cent. 3. obs. 12.* Phreneticum ab imprudenti olei potu hincque exorto alvi fluore sanatum testatur *Panarolus pent. 1. obs. 40.* Phreneticos pariter per præcipitium ab alto, ac præcipitatione in fluentem restitutos narrat *Paræus introduct. c. 23.* Vertiginem chronicam & nullis hæctenus remediis cedentem hæmorrhagia profusa, à gravi de scala lapsu concitata, discussam fuisse, narrat *Losius 1. obs. 8.* Abscessus cerebri enormiores per aures, nares & oculos evacuatos legimus penes *H. Augenum, 2. epist. 1. & Bartholinum 6. hist. 13.* ex largiore sanguinis profusione refrigeratos calorem pristinum seu naturalem ab ira recepisse, *Mæbius Inst. l. 4. part. 2. c. 8.* docet. De quibus similibusque inopinis medelis cum *Celso* asserere licet. *Quos Ratio non sanat, temeritas aliquando iuvat.* Imprimis vero evidens hæc Fortunæ vis est in morbis Chirurgiæ opem postulantibus, quales nonnunquam deploratos ac lethales omnimode miraculosè magis, quam artificiosè, i. e. casu & divino favore potius, quam Chirurghi manu, cum stupore hujus & adstantium sanari, experientia quotidiana eloquitur. Capitis percussiones ut plurimum maximè periculosas existere, penes omnes practicos in confesso est, ab harum nihilominus gravissimis, labascente & defi-

deficiente Chirurgia quosdam reconualescere, iidem
infiniti numeri historiis testantur. Vix annus elapsus,
cum in consilium me vocaret Chirurgus quidam hu-
jus urbis, medicinam qui faciebat adolescenti, quatu-
ordecim circiter, nifallor, annorum, & plagam capitis
enormissimam sustinenti. Hujus quippe musculus
temporalis sinister gravissimè non tantum contusus &
laceratus cernebatur, sed, pro elevandis ac protrahen-
dis commodius fragmentis calvariaè depressis, incide-
batur: ingens siquidem ossis temporum portio calva-
riaè cavo profundius imprimebatur & ossi integro vici-
no quasi subintrudebatur, ita ut inter hoc & illam spe-
cillum latum & satis crassum immittere, minora frag-
mentula eximere, majorem vero hanc testam ne levi-
ter quidem primis duobus mensibus commovere, li-
ceret. Prodibat primis diebus notabilis cerebri, tam
corticalis quam medullaris, substantiaè quantitas; un-
ciam circiter æquans, præter illa ejus ramenta, quæ sub-
sequentibus aliquot deligationibus saniei intermixta
deprehendebantur. Aphonium & stuporem sensu-
um aliqualem vix per duodecim priores horas hic vul-
neratus patiebatur, quibus elapsis altero mane omni-
bus sensibus integer escam petebat, sine adstantium
notabili adminiculo ex uno loco in alterum se recipie-
bat & ab omnibus symptomatis gravioribus toto de-
cubitus spatio immunis post sex menses pristinaè sani-
tati

tati restituebatur, in situ quamvis præternaturali relicta testa calvariæ majore depresso. Tracheæ compa-
gis cartilagineæ vulnera insanabilibus ac lethalibus ut-
plurimum accensent, (nam interdum interveniente
futura illa coaluisse, ut *Petr. von der Stille / Chir. part.
2. tr. 4. cap. 14. Paræus l. 9. c. 29. Pigræus l. 4. cap. 12. ac
Bartholinus cent. 5. hist. 89.* testantur, it. sutura per glu-
tinum, annotante *Tulpio 1. obs. 50.* rarissimum ac admi-
ratione dignum phænomenon est) casu nihilominus
& per bonam tantum fortunam quoque sine ejusmo-
di operationis administratione quosdam, quibus ille
canalis profunde satis præcisus, restitutos idem *Paræus*
atque *Pigræus, locis allegatis* perhibent. Quorum ob-
servationibus addam observationem, nuper ex vicinia
transcriptam, ubi quidam, ob delictum, in carcerem
conjectus, noctu novacula, penes se occultata, laryn-
gem seu summitatem Asperæ arteriæ, sub cartilagine
annulari per transversum, ad medietatem usque, cum
partibus vicinioribus præsciderat, unde per aliquot ho-
ras sanguinem ad lipothymiam profundens & aphonus
aut leviter stertens, ab advenientibus excitatus, paulo
post pauca tantum verba denuo enunciabat aut potius
mussitabat. Balneator, levioris peritiæ, cujus curæ
hic commissus, nullam audet suturam nullumve aliud
labia Laryngis vulnerati sibi adducens remedium adæ-
quatum, sed plagæ tantum integumentorum externo-
rum

rum aliqualem, eamque palliativam satis, curam gerit: coalescit nihilominus vulnus hoc periculosum, sine ullis, præter tussim, symptomatis urgentibus, intra quatuor septimanas, deglutitio hæcenus turbata sensim restituitur, relicta tussi, sensim mitescente. Pariter quid impedit, quominus pulmonum vulnera, exitialia satis, aliquando salutaria evadant? si nimirum eorum portio sauciata spatio intercostali perfosso se insinuet, hujusque musculis per cicatricem communem conglutinetur, qualis casus, seu divinæ potius directionis exemplum memorabile, *Tulpius 2. obs. 17.* recenset. Quorsum etiam referendæ abdominis viscerum illæ plagæ, quas vulnere integumentorum externorum propinquiores & quasi contiguas casus fecit; ut per eandem bonam fortunam cum hujus labiis promptius cicatrissentur, ex quibus nihilominus, ab integumentis his laceratis remotioribus, multos occumbere, quotidiana loquitur experientia. Qualem casum vel ideo facilius concipere nobis valemus, quod à vivisectionibus brutorum, hujus vel illius tentaminis physiologici gratia adornatis, viscera horum plus minus lacerata Peritonæo ipsique incumbentibus musculis brevi agglutinari, ex repetita post aliquot dies horum sectione evidens fiat: ejusq; specialiora exempla in Ventrículo suggerunt extractiones cultri devorati ex ventriculo Prussi atque Bohemi, quorum historiæ in vulgus innotescunt,
item

item illius adolescentis Hallensis, cui die tertio Januarii
Anni 1691. sub quodam certamine ludico improvide
impactus & deglutitus culter, magnitudinis notabilis,
Anni proximè insequentis secundo Augusti die fato
stupendo per apostema, sub regione scrobiculi cordis
exortum atque manu Chirurgi perforatum, eductus
fuit, cuius rei Historiam *Acta nostra Eruditorum ann.*
1692. Mense Dec. tradunt. Quorum feliciorum suc-
cessuum ætiologia in hoc potissimum consistere vide-
tur, quod cultri ad exteriora vergentis tendentia, seu
spontanea, seu arte adjuta, ambitus vel compages Ven-
triculi vulnerati, Epigastrii integumentis propius ada-
cta, cum horum vulneris oris communem cicatricem
receperit. Intestinorum vulnera lethalia ut plurimum
observamus ac pronunciamus, & quidem non sine son-
tica causa; si qua proin eorum aliquando coalescere
experientia testetur, fortunæ potius, quam artis opus
hoc videtur. Quod in eo frequentius consistere de-
prehenditur, dum illorum vulnus vulnere externo vi-
cinius existit, ipsique quasi è diametro opponitur, &
Colo, per contiguitatem non tantum, sed per conti-
nuitatem quoque illam, quæ cum Peritonæo ac muscu-
lis abdominis ipsi intercedit, frequentissimum contin-
git: cum alii ex eorundem intestinorum vulneribus,
saltem quod hæc Vulnere externo vicinitate minus re-
sponderint, pereant. Parem sortem aut manum iti-
dem

dem divinam experiuntur illi, quorum vasis, ventriculo, intestinis similibusque cavitatibus vulneratis portio Omenti, pingvedinis aut telum lædens fortuito sese ita insinuant vel infixæ permanent, ut vulnere incuneata aut demum interveniente glutine naturali omnimode conferruminata, hæmorrhagiam v.g. chylive profusionem sufflaminando vel interpellando, mortis terminum plus minus prorogent. Exemplum ejusmodi phænomeni vix sperati notabile suggerunt *Ephemerid. Nat. Curios. Dec. 1. ann. 2. obs. 161.* in quodam, cujus ex vulnere Arteriæ Cruralis hæmorrhagia enormissima ac lethalis ad decimum quartum usque diem, à grumosi sanguinis obturaculo, fuit inhibita. Liceatque mihi huc referre, quod in cadavere cujusdam, ex venæ Iliacæ internæ vulnere decimo tertio demum die defuncti, olim annotavi, & cujus aliàs jamdum mentionem feci: sc. huic particulam pingvedinis vicinæ, gladio percutientis simul laceratæ & quasi avulsæ, incuneatam fuisse, sine dubio terminum vitæ, ejusmodi vulneribus ordinariè satis angustum, prolongantem. Quadrat denique huc Operatio Chirurgica, qua oculorum suffusioni medemur, ubi pelliculam equidem illam mucosam, quæ pupillæ subtensa hæctenus cæcitatem pepererat, satis perite ac dextre Artifex deradit & ad canthum oculi internum deponit, ἀτυχία nihilominus frequentius impedit, quominus illa quieta in

B dicto

dicto angulo maneat, sed post paucos dies denuo evoluta superiora & pristinum locum non sine calamitate ægri repetat, sicque operam Chirurghi irritam reddat.

Pluribus observationibus assertum hoc de vulnorum aliorumve morborum casuali medela & non medela declarare nec opo, nec pagellæ hæ earum majorem cumulum sustinerent: hoc tantum nunc addo, Fortunam in curandis morbis efficacem nunquam forsan solitariam observari, sed semper aut Artem, juxta *Hippocr. l.c.* aut Naturam seu corporis morborum motus intrinsecos seu proclivitatem ad statum naturalem, aut utramq; , adjutrices sibi sociare, aedoq; nunquam forsan in paradoxis ejusmodi formandis sufficere, ut vel historiarum recensitarum, vel aliarum hujus generis infinitarum, docere poterant. Quod imprimis illorum gratia admonendum, qui, dum medendis morbis se applicare satagunt, Fortunæ seu Fato hoc arduum negotium committunt: cum nihilominus, sive Magistrum, sive Ministrum, Naturæ medicatricis Medicum dicamus, per artis imprimis fundamenta illam moderari aut juvare conveniat, dum, monente eodem *Hippocrate de loc. in hom. Soli illi scopum suum in curandis agris fortunate assequi & infortunate non assequi videntur, qui recte quid & malefacere sciunt &c.*

Talem Medicum, i. e. eruditum, auguramur *Virum Juvenem Nobilissimum atque Clarissimum*
DN.

DN. M. CHRISTIANUM *Gottfried Singern*/Lipsi-
ensem Medicinæ superiore anno renunciatum Bac-
calaureum, qui non tantum à prima sua adolescentia
bonis Literis ac Artibus sedulam navavit operam, sed
Artis quoque medendi tantum sibi, ex Lectionibus
publicis & privatis pariter Nostrorum Doctorum, ac
per Studia propria, comparavit doctrinæ, ut Examina
publica modeste petere ac feliciter sustinere haud veri-
tus fuerit, quò olim *citra & cum fortuna recte agere*
queat. Hinc superioribus diebus Censuræ nostræ
exposuit privatæ Disputationem Inauguralem *de Den-*
titione difficili Puerorum, ut post hanc experiretur pu-
blicam & conaminum suorum perquam honestorum
assumendi *Gradum Licentiaturæ* in Medicina, publi-
cum Bonorum omnium applausum. Cui solennitati
cum crastinum *diem Veneris* nuncupaverimus, Ego,
cui à *Reverendissimo, Serenissimo atque*
Celsissimo Principe ac Domino, DOMINO
CHRISTIANO SECUNDO,
Duce Saxoniae, Juliae, Cliviae, Monti-
um, Angriae & Westphaliae, Postulato
Administratore Episcopatus Martis-
burgensis, Landgravio Thuringiae,
Marchione Misniae & utriusque Lusa-
tia


tiæ &c. &c. Cancellario hujus Academiæ perpetuo & unico, Domino meo Clementissimo, *Procancellarii* munus pro tempore Clementissimè demandatum fuit, *Magnificum Academiæ Rectorem*, Utriusque Reipublicæ Patres, cunctosque, qui Arti nostræ ac Studiis Nobilissimi Domini Candidati favent, ea, qua par est, observantia atque affectu rogo, velint honorifica & desiderata sua præsentia Panegyrim hanc Disputatoriam pariter ac Gradus Licentiæ Collatoriam splendidiorum reddere, pro hoc autem Officii ac Favoris genere à Me & Facultate Nostra non minus ac à Clarissimo Domino Candidato fida & certissima gratitudinis, ad cujusvis occasionis oblationem, sibi polliceri signa. P. P.

Lipsiæ, d. 24. Maji, Anno 1694.

L I P S I Æ,
Literis CHRISTOPH. FLEISCHERI.

X 2615888

V. 17.



B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1694, 2
1257

S MEDICÆ
LIPSIENSI
cellarius,
ANNES Bohn/
rof. Publ.
D.

*in morbis Chirurgicæ
artibus
H. D. Gilling*

